



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. LXI. Petenti provideri de vacaturo dentur litteræ de vacanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

Bellam. decis. 303. Parte verò opponente tenetur, verificare omnia narrata, id est non solum jam dicta, sed etiam valorem beneficij, & narrativam obtentorum, Pur. decis. 24. lib. Flam. Paris. de Resig. ben. lib. 10. q. 3. nu. 40. ut & beneficij qualitate, videlicet quod non requirat residentiam, dice cessum suam, quæ probare tenebitur, si opponatur, alias non, Nicol. Garcia tract. de ben. p. 6. c. 2. nu. 156. & seq.

Argumenta in Reg. LXVIII.

INNOCENTII. VIII.

1. Intellectus hujus Regule. | obitum futurum.
2. Beneficium non potest impetrari per | 3. Regula hæc an sit danda;

Regula LXVIII. Innocentij VIII.

PETENTI PROVIDERI DE VACATURO
DENTUR LITTERÆ DE VACANTI.

Item petenti sibi provideri de vacaturo dentur litteræ etiam de vacante, & è converso, prout expedit impetranti.

Regula ista dicit quod si unus petit sibi provideri de beneficio vacaturo potest Cancellaria dare clausulam, quod provideretur sibi de beneficio illo cum vacaverit per contractum matrimonij Titij, debet etiam poni clausula, vel cum vacaverit per contractum matrimonij &c. prout voluerit impetrans, hoc dicit.

Et ista regula potest intelligi duobus modis: uno modo prout dixi, & alio modo qual loquatur Regula de impetrante tantum beneficium vacaturum, quod tunc ponatur clausula vel si vacat ad præsens, vel quod primo ponatur clausula si vacat ad præsens, & postea addatur: vel si vacaverit per eundem modum expressum, & non debet intelligi, quod si ego impetro beneficium vacans per mortem alicuius, quod ponatur clausula vel cum vacaverit per obitum ipsius &c: nam ista regula loquitur de legitima impetratione permessa à iure, vel secundum stylum, & non prohibita per ius, ut in hoc casu, faciat in simili glo. in l. 1. C. de sacrofan. eccles. & l. ut gradatim ff. de ma. & hon. nam alias esset derisio, & esset votum captanda mortis illius, contra c. 11. de concess. præb. lib. vi. cum similibus. & si impetro beneficium vacaturum per affectionem, vel per promotionem, tunc bene posset poni clausula si vacat ad præsens etiam per obitum illius per hanc regulam, sed non per obitum futurum: & sic intelligo regulam 64. ibi præterquam si per obitum obtinentis vacare contigerit &c: qua verba sunt futuri

futuri temporis, & non presentis, facit quod dicit Baldus de istis temporibus in l. fi. C. de codicillis. Et ista Regula non est danda, quia concernit expeditionem tantum, & non apponit decretum irritans.

COMMENTARIA. JO. A CHOKIER.

Et si impetrans) Huc spectant quæ scribit Rebuffus in praxi tit. de repro-
bata benef. vivent. impet. nu. 41. & seqq. in tit. de nominatio in fi.

Argumenta in Regula LXIX.

INNOCENTII VIII.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Hæc Regula videtur superflua ex quo Cancellarius ei derogat, & hodie sub plumbis Executoriales & sequestra non expediuntur.</p> <p>2. Inferior Superioris constitutionem tollere non potest.</p> <p>3. Vicecancellarius an præscriptione possit derogare Regulis Cancellariæ.</p> <p>4. Stylus Cancellariæ attendendus est etiam jus obster.</p> <p>5. Quomodo in forma Humilibus possit derogare Vicecancellarius.</p> <p>6. Ordinarius an possit sequestrum imponere autoritate juris.</p> <p>7. An hæc Reg sit danda.</p> <p>8. Clem. 1. de sequest. poss. & Constitutio Pij IV. concedentis facultatem iudicibus decernendi sequestra fructuum beneficiorum. lite pendente discutitur.</p> <p>9. Sequestrum interdum etiam apponitur ante sententiam, & quando.</p> <p>10. Violans sequestrum excommunicatur & privatur jure beneficii.</p> <p>11. Ordinarius de hodierno stylo non apponit sequestrum, nisi de mandato Rotæ Auditoris qui sententiam tulit.</p> | <p>12. Sequestrum ut concedatur debent adesse probationes judiciales, quod secus in casu Præx constitutionis quia sufficit si constet extrajudicialiter de reservatione.</p> <p>13. Sequestrum non conceditur ubi adest triennis possessio.</p> <p>14. Nullitatis exceptio non impedit aut excusat, quominus vitetur sequestrum.</p> <p>15. Sequestrum apponi potest in qualibet instantia.</p> <p>16. Sequestrum vitari non potest per cautionem.</p> <p>17. Sequestrum non extenditur ad fructus perceptos.</p> <p>18. Lata sententia ab Auditore Camere solet mandari Diocesano, ut sequestrum apponat.</p> <p>19. Sequestra sunt odiosa, & vitanda.</p> <p>20. Sequestratio triplex est.</p> <p>21. Sequestratio regulariter prohibita.</p> <p>22. Sequestratio est interdicta, ubi adest annalis vel triennis possessio.</p> <p>23. Sequestrum conceditur si Reus non sit solvendo, vel dubitatur de dilapidatione fructuum.</p> <p>24. Sequestrum conceditur in casu attentati.</p> |
|--|---|